



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Hostes Consanguinei.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

vat iram, & à Deo querit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. Abstine te à lite, & minues peccata. Eccl. 28. Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei usque septies? dixit illi Iesus, non dico tibi septies sed usque septuagies septies. Matth. 18. Vide ibidem parabolam de servo non condonante conservo, & videbis semper condonandum proximo, nec vindictam ex odio erga inimici personam sumendam. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus & sumas scandalum (seducaris ad idem) anima tua. Prov. 22.

Hostes Consanguinei.

Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ut filii sitis patris vestri, qui incalis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Matth. 5. Noli dicere per te diligere plus præcipi, quam humana natura patiatur. Nam sciendum est Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta à Davide, Stephano, Paulo, &c. Ita Hieron. cum ergo ab actu bonasit argumentatio ad potentiam, in his & aliis præceptis difficilioribus teste S. Script. ab hominibus cum Dei gratia impletis, iterum confundantur Hæretici dicentes ea servatu esse impossibilia. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua Eucharis in bono homine abundat. Eccl. 6.

Sicut Dei providentia ad conservationem & defensionem humani generis vinculum sanguinis posuit, ita tam benè lethale odium inter consanguineos fraternaue odia, quàm inordinatus affectus erga carnem & sanguinem origo est multiplicis mali. Et sicut dicit Christus ad consilia Evangelica sequenda vocato, *qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Matth. 10. Ita & ibid. dicit parentibus pro solatio suo, vel familiæ ut sibi imaginantur bono, impredientibus proles capaces aut pulchras à statu religioso, & defectuosas Deo in religione obtrudentibus, *qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

Avari.

Non est satiatus venter ejus, cum habuerit omnia, que concupierit, possidere non poterit. Job. 20. Tam deest avaro, quod habet, quàm quod non habet. *Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.* Pl. 38. *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Pl. 61. Nihil est iniquius quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet, avaro nihil est sceleratius. Eccl. 10. *Omnis homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.* Eccl. 3. Sicut revera maledictio est, quando avarus nec pro se, nec pro alio emolumentum aut commodum habet ex sua substantia, & nec ex amore erga Deum, vel ob satisfactionem pro pec-